

DISSERTATIO II  
DE SUBJECTO ET OBJECTO DOMINII

## ARTICULUS I

*De subjecto et objecto dominii in genere.*

Dico 1<sup>o</sup> : Omni et soli naturæ intellectuali, nempe Deo, angelo et homini competit dominium<sup>1</sup>; quia omni et soli naturæ intellectuali competit fundamentum dominii, scilicet intellectus et voluntas, per quæ habet potestatem disponendi de suis actibus, et per actus de rebus externis. Unde *Genes.*, 1, 26, dixit Deus : *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram, ut præsit piscibus maris et bestiis terræ*: ubi tribuit homini dominium in bestias et pisces, eo quod sit imago Dei. Est autem imago Dei per intellectum et voluntatem.

Dico 2<sup>o</sup> : Omnes res sublunares cadere possunt sub dominio hominis, in quantum potest eas sibi comparare et de comparatis pro nutu disponere; earum vero de facto est dominus quas legitimo titulo possidet.

Est etiam absolute dominus operationum quæ libere exercentur per intellectum et voluntatem, per sensus exteriores et per potentiam loco motivam<sup>2</sup>; quia ejusmodi subduntur libero ejus arbitrio. Non ita perfecte est dominus actionum quæ naturaliter exercentur per sensus interiores et appetitum sensitivum; quia hæ quandoque pendent ex dispositione organi corporalis, quod non est in potestate hominis. Actionum vero facultatis vegetativæ nullo modo est dominus, quia nullatenus subduntur imperio rationis.

Dico 3<sup>o</sup> : Homo non est absolute et directe dominus vitæ suæ et membrorum, sed custos tantum et usuarius<sup>3</sup>; solus vero Deus est Dominus. Ita passim doctores.

1. Hic q. 66, a. 1, o. — 2. 1<sup>a</sup> 2<sup>a</sup>, q. 17, a. 5-9. — 3. Hic q. 64, a. 5, ad 3.

*Prob.* 1<sup>o</sup> ex Scriptura. *Deut.*, xxxii, 39, dicit Deus : *Videte quod ego sim solus, et non sit alius Deus præter me. Ego occidam, et ego vivere faciam.* Et *Sap.*, xvi, 13 : *Tu es, Domine, qui vitæ et mortis habes potestatem*; id est, solus.

*Prob.* ratione. 1<sup>o</sup> Vita et corpus præsupponuntur ad dominium tamquam ejus fundamenta. Ergo non subjacent dominio. — Si dicas, libertatem etiam esse fundamentum dominii, et tamen hominem esse ejus dominum, siquidem possit illam vendere per servitum; *resp.*, per servitum non vendi ipsam libertatem seu potentiam liberi arbitrii, quæ est fundamentum dominii, sed tantum usum; sicut etiam potest homo vendere usum sui corporis. — 2<sup>o</sup> Præcepto : *Non occides*, prohibetur occisio, non solum alterius, sed etiam sui ipsius et mutilatio. Ergo homo non potest pro libitu disponere de vita aut membris, et consequenter non habet in ea dominium. — 3<sup>o</sup> Dominium non est nisi in eas res quas nostra industria possumus acquirere; has enim sicut possumus acquirere, ita et relinquere. Atqui vitam aut membra non possumus propria industria acquirere. Ergo. — 4<sup>o</sup> Dominium non est nisi in res distinctas. Atqui vita et membra non sunt quid distinctum a nobis. Ergo.

Dico 3<sup>o</sup> : Nec principes, nec respublica habent dominium directum in vitam et membra civium, quasi pro libitu cives possint occidere aut mutilare, sed indirectum tantum, in quantum quorundam vita est bono publico noxia. Patet, tum ex præcepto laudato : *Non occides*; tum quia quisque privatus se habet ad rempublicam sicut membrum ad corpus; nemo autem est dominus membrorum suorum, ut dictum est. Ergo.

Dico 4<sup>o</sup> : Homo est dominus propriæ famæ et honoris<sup>1</sup>. Est communis contra Cajetanum, q. 73, a. 2. Istud dominium tamen est aliquando ligatum.

*Prob.* prima pars. Homo proprio labore acquirit famam, aut saltem jus ad illam; semel acquisitam per facultatem

1. Hic q. 73, a. 4, ad 1.

arbitrii regit, conservat, aut amittit citra cujusque injuriam, ut fecit Augustinus lapsus suos manifestando. Ergo est ejus dominus. — *Patet* conseq.; quia hi omnes actus sunt præcipui actus domini.

*Confirm.* Si homo non esset dominus suæ famæ, non posset ejus restitutionem condonare seu remittere; nemo enim potest remittere quod suum non est. Atqui tamen id sæpe fit, et laudabiliter fit. Ergo.

Nec obstat quod homo possit condonare mutilationem membri, cujus tamen non est dominus. Nam, si membrum posset restitui sicut fama, non posset ejus restitutionem condonare. Quod ergo condonat, non est restitutio membri, sed satisfactio pro injuria illata et restitutio pecuniaria pro damno secuto.

*Prob.* secunda pars. Fama nostra est aliquando necessaria proximo. Ergo tunc non possumus de ea disponere ad libitum, eam vel negligendo vel prodigendo.

[Fama autem nostra tripliciter potest esse proximo necessaria: 1° Sic ut ex fama nostra pendeat fama proximi, et ex infamia nostra sequatur ejus infamia: ut ex infamia monachi sequitur infamia communitatis, et ex infamia patris sequitur infamia ejus familiæ. 2° Sic ut fama nostra sit necessaria proximo ad præstandum ipsi officium quod stricto jure debetur: ut fama prælati aut parochi est necessaria ut bene regat subditos. 3° Sic ut fama nostra sit necessaria proximo, ut ei præstetur officium ex charitate tantum ei debitum. Qui in hoc ultimo casu famam negligit aut prodigit, peccat tantum contra charitatem. Qui vero in duobus prioribus casibus famam non curat, probabiliter peccat contra justitiam, non præcise quia seipsum infamat, sed quia proximo nocet.

Dico 4°: Homo potest cadere sub dominium proprietatis alterius hominis.

*Prob.* Servitus nullo jure prohibetur: 1° Non naturali; quia, ut dictum est, homo habet dominium utile sui corporis. Ergo potest illud in alium transferre. 2° Non divino,

ut patet ex veteri Testamento, *Exod.*, xxi, 2 seqq.; *Levit.*, xxv, 39 seqq., et ex novo, *ad Philem.*, 10 seqq.; *I Petr.*, ii, 18. 3° Non humano, ut patet ex variis utriusque juris locis, ubi multa de servis disseruntur. Fuit autem introducta servitus jure gentium; sed nunc, jure novo disponente, nulla amplius admittitur servitus inter christianos, paucis locis exceptis: unde hæc quæstio fere speculativa facta est.]

## ARTICULUS II

*De dominio uxorum et filiorumfamilias.*

## § I

*De dominio uxorum.*

Triplicis generis distinguuntur bona uxoris, nempe paraphernalia [*παρά, juxta, περιή, dos,*] sunt ea quæ uxor, ultra dotem marito traditam, habet vel acquirit. — *Dotalia* sunt ea quæ uxor tradit marito in sublevamen matrimonii. — *Communia*, quæ utriusque conjugis labore tempore matrimonii acquiruntur.

Dico 1°: Uxor habet dominium plenum, scilicet directum et utile, et administrationem bonorum paraphernalium. Ita disponitur in jure *L. Hac lege, c. de pactis convent.*, l. 5, tit. 14. Idque suadet ratio; quia uxor, quoad hujusmodi bona sibi propria, non se habet ut uxor, sed ut homo distinctus a marito.

Dico 2°: Bonorum dotalium uxor habet dominium directum, maritus autem utile et administrationem. Ita in jure *L. dotis 7, ff de jure dotium*, l. 23, tit. 3, ubi dicitur: « Dotis fructum ad maritum pertinere debere æquitas suggerit; cum enim ipse onera matrimonii subeat, æquum est eum etiam fructus percipere. » Qua lege statuitur secunda pars conclusionis, et prima aperte insinuat. Si enim marito fructus dotis dumtaxat conceditur, conse-

quens est quod dominium directum penes uxorem remaneat. Patet etiam ex hoc quod, mortuo marito, dos absque omni contractu obveniat uxori, licet non sit hæres necessaria, saltem ubi sunt liberi. Ergo signum est eam ante in illam dotem habere dominium.

Dico 3<sup>o</sup>: Medietatis bonorum communium uxor habet dominium directum; quia, ut dicebamus modo de dote, marito defuncto, hæc medietas obvenit uxori. Dominium autem utile et administratio competunt marito; quia, cum sit caput et moderator familiæ, ad ipsum pertinent bonorum, non solum dotalium, sed et communium fructus et administratio.

Hæc omnia de jure communi; sunt enim variæ locorum consuetudines, quæ aliter disponunt. Sic, juxta articulum primum consuetudinis Leodiensis, nulla sunt bona paraphernalia liberæ uxoris dispositioni relicta, nisi pactum aut conventio in contrarium interveniat, sed omnia præsentia et futura mariti dominio subsunt.

[Ex diversis juribus Europæanis ut sequitur hæc materia regitur.

PRINCIPIUM. Ex lege naturali, uterque conjux remanet bonorum suorum dominus, cum obligatione sustinendi pro rata parte matrimonii onera; sed ex lege positiva et ex pacto jura conjugum in bona possunt esse valde diversa.

Hæc sunt præcipuæ dispositiones quas continent hæc de re varii variorum populorum codices seu jura.

*Jus Romanum.* 1<sup>o</sup> Adjudicat bonorum dotalium usumfructum et administrationem viro, proprietatem autem uxori; ideoque, mortuo viro, ipsa pro repetenda dote omnibus ejus personalibus creditoribus præfertur. Potest etiam, durante matrimonio, repetere dotem, si timeatur ne vir fiat impotens ad illam restituendam. Si vero dos consistat in pecunia aut in bonis consumptibilibus, vel etiam in bonis stabilibus, quæ viro æstimata et animo venditionis traduntur, tunc vir plenum acquirit dominium, cum obligatione valorem restituendi, matrimonio soluto; unde,

si bona hujusmodi pereunt, viro pereunt. — 2<sup>o</sup> Bonorum paraphernalium uxor habet plenum dominium et usum. — 3<sup>o</sup> Bonorum communium, si adsint ex pacto speciali, proprietates et usus pertinent ad utrumque conjugem, administratio vero ad solum maritum.

*Jus Gallicum*<sup>1</sup> concedit sponsis, ante matrimonium, facultatem faciendi, quoad bona sua, omnes quas voluerint pactiones, dummodo hæc fiant coram publico notario, nec bonis moribus, aut legibus, aut paternæ maritalive auctoritati adversentur. Quod si hujusmodi pactio fieri prætermittatur, sponsi censentur inire communitatem legalem. — Jam vero:

1<sup>o</sup> Communitas legalis sic constituitur: 1<sup>o</sup> Propria cuique conjugi manent bona immobilia acquisita ante nuptias, vel postea ex donatione aut successione obyentientia. Propria vero uxoris bona fiunt quasi-dotalia, et solus maritus habet eorum usumfructum et administrationem; ita tamen ut sine consensu uxoris ea alienare non possit. — 2<sup>o</sup> Communia evadunt tum bona mobilia ante matrimonium possessa, tum fructus immobilium aliique redditus, tum etiam immobilia in matrimonio ex bonis vel ratione communitatis acquisita. Potest maritus hæc bona absque uxoris consensu alienare, oppignerare, etc.

De immobilibus tamen, vel de mobilium universalitate aut quotitate non potest disponere titulo gratuito. — Dissoluta communitate, bona et onera dividuntur in duas partes, nisi uxor hujusve hæredes maluerint bonis renuntiare, atque ita ab oneribus se eximere.

2<sup>o</sup> Per pactum conjugale constitui potest: 1<sup>o</sup> Regimen communitatis *conventionalis*, quo extenditur vel restringitur, respectu bonorum, communitas legalis. — 2<sup>o</sup> Regimen *excludens communitatem*, at sine separatione, quo scilicet omnia bona uxoris fiunt quasi-dotalia, et traduntur marito in usum et in administrationem, absque alienandi facultate. — 3<sup>o</sup> Regimen *separationis*, quo omnia uxoris

1. Codex civ., art. 1387-1581.

bona fiunt quasi paraphernalia; uxor enim retinet usum et administrationem omnium suorum bonorum, nec confert ad onera matrimonii nisi tertiam partem suorum reddituum, ad normam juris, vel aliam summam, hancque determinatam, cujus plenum dominium in maritum transfertur. — 4<sup>o</sup> Regimen *dotale*, quo dos stricte talis constituitur, fere ut in jure Romano.

Notetur: 1<sup>o</sup> Non potest constitui regimen in quo uxor sit penitus independens a marito, scilicet in quo possit alienare sua bona immobilia, aut se sistere in judicio civili sine mariti vel judicis autoritate. Potest tamen, marito etiam invito, testamentum condere. 2<sup>o</sup> In contractu antenuptiali, possunt sponsi mutuo a se invicem vel ab aliis quasdam accipere donationes, quæ post nuptias lege prohibentur.

*Jus Italicum*<sup>1</sup> hæc habet sibi propria: 1<sup>o</sup> Dos generatim constituitur juxta regulas juris Romani. Etiam futura sponsæ bona complecti potest; sed post initum matrimonium non potest amplius a conjugibus nec constitui, nec augeri. — 2<sup>o</sup> Possunt sponsi ante nuptias inire communitatem, non quidem bonorum, sed fructuum ex ipsis bonis sive mobilibus sive immobilibus, sive presentibus sive futuris provenientium. Sed non potest illa societas comprehendere debita et credita existentia ante conjugium. In cæteris jus Italicum cum Gallico satis concordat.

*Jus Hispanicum*. Dos constitui potest sicut in jure Romano: item bona paraphernalia. Seclusa autem pactione antenuptiali, viget communitas legalis, sicut in jure Gallico.

*Jus Austriacum*<sup>2</sup>. Bona uxorum iisdem fere regulis subjiciuntur ac in jure Romano. Hæc solum notanda sunt: 1<sup>o</sup> Communitas bonorum stipulari potest, sive ante sive post initum matrimonium, sub conditionibus tamen et in forma a lege præscriptis. Regulariter communitas pro casu mortis tantum inita censetur; ideoque, durante conjugio, proprietas bonorum communium est utriusque

1. Cod. civ., art. 1378-1446. — 2. Cod., art. 1217-1266.

conjugis, usufructus illius ad quem pertinebat ante pactum, et administratio solius viri. Soluta conjugio, bona dividuntur. — 2<sup>o</sup> Secluso speciali pacto, uterque conjux retinet jus proprietatis suorum bonorum, necnon jus exclusivum ad ea omnia quæ ipse sibi durante conjugio acquirit, vel quæ sibi obveniunt. Uxoris tamen bonorum usus atque administratio marito tradita censentur, quamdiu ipsa non contradixerit.

*Jus Borussicum*<sup>1</sup>. 1<sup>o</sup> Statuit, tamquam normam generalem, bonorum utriusque conjugis separationem, separatumque eorum dominium; qua in re imitatur jus dotale juris Romani. Bonorum dotalium administratio et usufructus competit marito; sed maritus non potest ea bona alienare vel oppignerare sine consensu uxoris. Ut autem in tuto collocentur, competit uxori jus hypothecæ in bona immobilia mariti. Bonorum vero paraphernalium dominium eorumque libera administratio penes ipsam est. — 2<sup>o</sup> In pluribus Borussiae provinciis, communitas bonorum determinatur legibus particularibus, vi quarum (plus minusve, pro loci consuetudine), conjuges, quamdiu conjugium perdurat, dominium suorum bonorum in communi exercent. Communitas potest excludi in toto vel in parte, sed vi pacti initi ante matrimonium. Similiter, in provinciis ubi communitas bonorum non viget, potest, sed solum ante matrimonium, constitui pacto, sub conditionibus ac solemnitatibus quas leges præscribunt. Atamen, si conjuges mutant domicilium, possunt leges in novi domicilii provincia vigentes sectari.

*Jus Anglicum*<sup>2</sup>. 1<sup>o</sup> Ex jure recentiori, licet uxori possidere bona propria mariti potestati nullatenus obnoxia. Talis status in bonis immobilibus aut mobilibus, vel in redditibus, constituitur pacto antenuptiali, ab uxoris patre, vel ab ipso marito, vel etiam ab extraneo. Committitur autem plerumque, quo majori securitate fruatur, fiducia-riis. Eodem modo constitui solet *doarium*, id est redditus

1. Cod. Boruss., II, 1, §§ 205-433. — 2. Cfr. Croll, n. 486-497.

ab uxore vita sua durante percipiendus, si marito superstes fuerit. — 2<sup>o</sup> Deficiente pacto, omnia uxoris bona ante vel post nuptias acquisita transeunt in viri dominium ac potestatem. Agri quidem non possunt ab eo alienari, sed possunt ab ipsius creditoribus occupari; imo pertinent ad eum absolute, si uxori supervixerit, — 3<sup>o</sup> Vir per testamentum, non solum liberos, sed etiam uxorem omnino destitutos relinquere potest, si vero intestatus moriatur, uxor jure obtinet omnia bona immobilia quæ erant communia, id est quæ durante matrimonio utrique conjugii vel data vel conjuncte ab eis empta fuerant. Ex personalibus demum mariti bonis accipit tertiam partem, si defunctus relinquat descendentes; secus, dimidiam<sup>1</sup>.

*Petes* 1<sup>o</sup> utrum uxori ex bonis communibus vel ex fructibus suæ dotis liceat eleemosynas facere.

*Resp.* affirmative, etiamsi alioquin bona propria habeat, modo consuetudinem inter mulieres ejusdem conditionis vigentem sequatur. Ratio est, quia uxor non est serva, sed socia et domina, et ut talis dispensationi bonorum communium participare debet. Aliunde maritus consentire debet, et si consensum deneget, est irrationabiliter invitus. Ita communiter, cum S. Ligorio<sup>2</sup>.

*Petes* 2<sup>o</sup> utrum maritus ad restitutionem teneatur, si notabilem partem bonorum communium prodige vel imprudenter impenderit.

*Resp.* Disputatur. Prima sententia probabilis affirmat, quia uxor habet dominium dimidiæ partis bonorum communium, et jus ejus fuit violatum. Altera sententia, etiam probabilis, negat generatim, id est nisi maritus excesserit limites a jure præfixos, intra quos constituitur quasi dominus horumce bonorum, quæ potest alienare sine consensu uxoris, quin teneatur ei rationem reddere: aliunde hujusmodi dissipationem præcavere potest uxor, separationem bonorum juridicam postulando. Unde con-

1. Marc, *Instit. morales Alphons.*, n. 864-870. — 2. Lib. IV, n. 340.

cluditur maritum sic agentem peccare quidem graviter contra charitatem, non vero contra justitiam<sup>1</sup>. Ex jure Gallico autem maritus limites præscriptos excedit, si de titulo gratuito aliqua immobilia, vel totalitatem aut quantitatem mobilium, aut si bona communia sibi soli appropriet<sup>2</sup>.

*Petes* 3<sup>o</sup> utrum peccet uxor, sublevando ex bonis communibus, vel ex fructibus suæ dotis, parentes suos aut filios ex antecedente matrimonio natos.

*Resp.* negative, si paraphernalia non habeat, nec vir necessaria ad hoc præstare velit; quia jure naturæ hæc obligatio uxori incumbit, et maritus in id consentire tenetur, cum tale onus commune censi debeat. Si vero uxor marito supervixerit, has expensas in sua parte communitatis computare debebit, nisi summa bonorum sic distributorum sit parvi momenti, habita ratione conditionis sponsarum. Ita S. Ligorio<sup>3</sup>, cum aliis.]

## § II

*De dominio filiorumfamilias.*

*Nota*, bona filiorumfamilias sub patria potestate degentium, quæ dicuntur peculium, esse quadruplicis generis: *castrensia, quasi castrensia, adventitia et profectitia*.

Castrensia sunt, quæ in militia justa, seu occasione militiæ, acquiruntur.

Quasi castrensia sic dicta, quia, licet non sint castrensia, castrensi tamen privilegio gaudent. Sunt: 1<sup>o</sup> Quæ in militia sacra, scilicet clericatu, sive ex beneficio ecclesiastico, sive aliunde acquiruntur; ita ut quidquid post clericatum advenit, quod alias foret adventitium, quasi castrense censeatur. Authent. *Presbyteros, c. de episcopis et clericis*. Bona tamen ante clericatum possessa remanent

1. Ita Carrière, *de Jure et Justit.*, n. 276. — 2. Cod. civ., art. 1422 et 1437. — 3. Lib. IV, n. 342.

ejusdem conditionis ac ante. 2° Quæ acquiruntur ratione alicujus officii publici non mechanicæ, puta judicis, advocati, notarii, aut professione alicujus artis liberalis, ut theologiæ, juris, medicinæ. Ita L. *cum multo, c. de bonis quæ liberis*.

Adventitia sunt ea quæ non proveniunt a patre, neque ex ejus bonis formaliter, neque ejus causa aut intuitu principaliter dantur filio seu filiæ, sed huic obveniunt successione vel donatione alio intuitu principali quam patris facta, vel industria propria, vel fortuito. Hæc bona dicuntur adventitia respectu patris, quia ab eo non proveniunt.

Profectitia tandem sunt, quæ filius acquirit ex bonis patris, v. g., ex eis negotiando, seu ea administrando, vel quæ sunt ipsi data, legata intuitu patris principaliter.

Dico : Filiusfamilias, sub patria potestate, habet dominium plenum bonorum castrensiarum et quasi castrensiarum. Adventitiorum habet tantum dominium directum seu proprietatem, pater dominium utile, seu usumfructum. Profectitorum tandem nec directum, nec utile dominium habet filius, sed totum est patris.

Prima pars statuitur in jure ff et c. *De castrensi peculio*. Secunda et tertia pars lib. 2 *Instit.*, tit. *Per quas personas*, 9, ubi Justinianus corrigens antiquum jus, quod inter adventitium et profectitium non distinguebat, sed utrumque patri addicebat, statuit et dicit : « Sancitum a nobis est ut, si quid ex re patris ei, scilicet filio, obveniat, hoc secundum antiquam observationem totum parenti acquiratur; quæ enim invidia est, quod ex patris occasione profectum est, hoc ad eum reverti? Quod autem ex alia causa sibi filiusfamilias acquisivit, hujus usumfructum patri quidem acquirat, dominium autem apud eum remaneat, nec quod ei suis laboribus vel prospera fortuna accesserit, hoc in alium perveniens, luctuosum ei procedat. »

Verum advertite quod, sicut « pietatem liberi parentibus, non operas debent, » sicut dicitur l. *penult. ff de obseq.*

*parent. præb.*, ita parentes non tenentur procurare ex propriis, filiis habentibus propria, id est castrensia, vel quasi castrensia, vel adventitia; unde ex his deduci debent expensæ quas faciunt parentes ex propriis, in victu et amictu filiorum.

[Bona et jura filiorumfamilias, aliorumque minorum, multum apud varias gentes variant. Præcipuas quæ hac de re existunt leges hic referemus.

#### I. — EX JURE ROMANO.

*Distinctio personarum.* Distinguitur : 1° *infans (non fans)*, qui nondum primum septennium complevit; 2° *impuber*, qui nondum pervenit ad pubertatem, id est ad quatuordecim annos, si sit puer; ad duodecim, si sit puella; 3° *minor* seu *minorennis*, qui puber est, sed nondum viginti quinque annos complevit; 4° *major* seu *majorennis*, qui hos complevit.

Filiusfamilias est filius legitimus vel legitimatus, qui, eujuscumque sit ætatis, nondum est sui juris, sed versatur adhuc sub patria (id est patris aut paternorum ascendentium) autoritate. Ei opponitur tum filius emancipatus, sive major sive minor; tum filius illegitimus, de quo infra. — Pupillus dicitur qui, impuber, a patria potestate exiit : huic etiam invito datur tutor ad personam et bona. — Minor, in stricto sensu, ille vocatur, qui exiit a patria potestate, jam puber : minori datur curator, volenti quidem ad bonorum administrationem, et etiam invito ad litem et ad quosdam solemniore actus.

Fili illegitimi nunquam sunt, in sensu civili, sub patria potestate, sed sunt sui juris. Hi sunt vel spurii (incestuosi, adulterini, sacrilegi), id est procreati ex parentibus inter quos, tempore quo concepti et nati sunt, non poterat contrahi matrimonium, atque hinc est cur nunquam legitimari possint; vel naturales, id est nati ex parentibus qui tempore conceptionis non erant quidem juncti matrimo-

nio, sed ad illud contrahendum habiles. Hi legitimari possunt, vel per subsequens matrimonium, vel etiam per rescriptum principis; et ipsa Ecclesia hujusmodi legitimatorem admittit.

*Distinctio bonorum.* Primitus omnia filiorum bona, quacumque ratione obtenta, pertinebant ad patrem, ceu profectitia; imo ipsi filii erant res patris. — Postea vero, ex imperatorum Romanorum institutionibus bona distincta sunt in castrensia, quasi castrensia, adventitia et profectitia, ut supra dictum est.

Ad pupillorum autem et minorum bona quod attinet, hæc omnia, a tempore eorum emancipationis, sunt vel castrensia et quasi castrensia vel adventitia, ut satis patet. — His præmissis, sequentia statuenda sunt:

PRINCIPIA: 1° Bonorum castrensiarum et quasi castrensiarum filiusfamilias habet plenum dominium. Expedi enim bono communi, ut filius non retrahatur a bello, publico officio, etc. Potest igitur de illis disponere, sive per contractus, sive per ultimam voluntatem; nec requiritur consensus patris, dummodo sit pubes. Quod si nondum pubes sit, potest eum autoritate iudicis de iis disponere. Atque hoc ipsum possunt pupillus sine consensu tutoris, et minor sine consensu curatoris.

2° Bonorum adventitorum filiusfamilias habet proprietatem; pater vero administrationem et usumfructum, nisi conditio specialis vel rei natura obstet, ut si filio expresse donaretur ususfructus, etc.; quo casu, peculium adventitium filii dicitur irregulare et plenum. — Quod si pater filium sponte emancipaverit, ipse retinet, quamdiu vivit, quasi in remunerationem, dimidiam partem prius habiti ususfructus; secus, si filius emancipatus fuerit ratione dignitatis, v. g. episcopatus, etc.

3° Bonorum profectitorum filiusfamilias habet nec proprietatem nec usumfructum (sunt enim patris), at solam administrationem. — Obtinet tamen hæc bona: 1° si patris bona fuerint a fisco occupata; 2° si pater eum emancipaverit, quin dicta bona repetierit.

## II. — EX NOVIS CODICIBUS.

De distinctione personarum sat diximus. — Quoad bona distinguitur: *dominium directum, administratio et ususfructus.* — Dominium directum omnium bonorum quæ justo titulo filiis obveniunt, pertinet ad eos, licet minores sint nec emancipati, cum talis domini sint capaces. Justus titulus est donatio, hæreditas, industria separata, etc. — Administratio omnium bonorum est penes patrem vel tutorem, qui filiorum incapacitatem vel imperitiam supplere debet, donec ipsi majorenes vel emancipati sint. Majorenes obtinent plenam, emancipati autem restrictam bonorum suorum administrationem. — Ususfructus competit vel filiis vel genitoribus, prout jus positivum statuit. Jam vero

*In Gallia*<sup>1</sup>. Ususfructus generatim pertinet ad patrem, vel, eo defuncto, ad matrem in viduitate permanentem, usque ad filiorum emancipationem vel annum decimum octavam completum. Ex proventibus tamen debet proles, pro conditione sua, alii et educari. — Diximus, « generatim, » quia excipiuntur: 1° bona quæ filii proprio labore separatave industria sibi comparant; 2° bona quæ ipsis donantur sub expressa conditione ut eorum ususfructus non obveniat parentibus.

*In Italia*<sup>2</sup>. Ususfructus conceditur patri vel matri habenti patriam auctoritatem, donec filii sint majorenes vel emancipati. Amittitur ab alterutro parente, qui, post mortem compartis, ad novas nuptias convolat. Parentes fructuarii tenentur procurare proli talem educationem quæ ejus fortunæ et conditioni sit consentanea. — Excipiuntur: 1° bona quæ filii proprio labore et separata industria sibi acquirunt; 2° bona quæ ipsis donantur cum adnexa conditione ut parentes usumfructum non percipiant; 3° bona quæ ipsis juxta legis dispositionem, dissentiente patre, obveniunt.

1. Cod. civ., art. 334-387. — 2. Cod. civ., art. 224-239.

*In Austria*<sup>1</sup>. Ususfructus competit filiis etiam minorenibus et non emancipatis, deductis tamen educationis expensis. Et licet suorum bonorum administrationem filius nondum emancipatus non habeat, libere tamen (adeoque et valide, si aliunde nil obstet), disponere potest: 1° de bonis propria industria acquisitis, modo ipse a parentibus non accipiat alimenta; 2° de bonis quæ ejus usui tribuuntur, modo sit puber.

*In Germania*<sup>2</sup>. Jus novum distinguit bona filiorum-familias in libera et non libera. — Libera dicuntur: 1° Quæ filii proprio labore et separata industria sibi compararunt; 2° quæ dono acceperunt, exclusis parentibus ab usufructu; 3° quæ, parce vivendo, seposuerunt ex bonis quæ erant ipsis, extra paternam domum viventibus, ad victum in plenam potestatem concessa. — Non libera dicuntur cætera omnia. Horum usumfructum habet pater, usque ad filii emancipationem vel majorennitatem. — Ususfructus bonorum liberorum competit filio, deductis tamen expensis educationis.

*In Anglia*<sup>3</sup>. Ususfructus pertinet ad filios. Utrum vero educationis expensæ ex bonis patris, aut ex bonis filiorum refundi debeant, solent tribunalia, pro casuum adjunctis, decernere.

*Petes* 1° utrum possit quandoque filiusfamilias retinere lucra quæ ex propria industria proveniunt.

*Resp.* 1°. Potest retinere (nisi forte debitum pietatis id vetet): 1° si extra domum paternam suis vel alienis expensis vivat, et industria separata laboret, v. g., famulando alicui, artem propriam exercendo, cum bonis alienis negotiando, etc.; 2° si in domo paterna laborem extraordinarium, seu alias quomodocumque indebitum impendat, v. g., si ex conditione sua non tenetur laborare; potest enim petere a patre id quod daret extraneo pro tali labore, vel etiam illud occulte retinere, si reverentia

1. Cod. civ., art. 149-195. — 2. Cod. Boruss., II, 2, §§ 147-209. — 3. Cfr. Crolly, *de Justit.*, n. 456-465.

vel rubor petere non sinat, ut admittit S. Ligorius<sup>4</sup> cum Lugo, etc., contra Molina et alios, qui filio occultam compensationem non permittunt.

*Resp.* 2°. Non potest, extra consensum expressum patris: 1° si impendat laborem ordinarium, vel obsequia non excedentia id quod pater jure paterno exigere valet. Pater enim habet jus ut juxta conditionem sui status a filiis adjuvetur: ideoque, si obsequia jam ex pietate debentur, filius nihil potest ex justitia exigere vel retinere. Ita communiter. 2° Si jus habeat quomodocumque dubium, v. g., quia doctores valde de eo disputant, vel quia non constat de labore indebito, etc.; in dubio enim non licet se occulte compensare.

*Petes* 2° utrum filiusfamilias habeat dominium perfectum in bona minuta ac mobilia sibi a parentibus vel cognatis data?

*Resp.* 1°. Si hæc bona non sunt illico usu consumptibilia, uti vestes, libri, etc., filiusfamilias utile tantum habet in eis dominium; nam, ex communi sensu, filius quoad hæc non accipit proprietatem, sed tantum usum. Ideo nequit absque parentum vel cognatorum consensu, saltem rationabiliter præsumpto, eadem vendere, donare, alienare.

*Resp.* 2°. Si ea bona sunt primo usu consumptibilia, ut cibaria vel pecunia, et data sint sine ulla conditione, potest de iis pro suo nutu disponere; quia censentur data in proprietatem. Si autem data sint sub conditione aliqua, v. g., emendi libros, solvendi pensionem, etc., peccat contra justitiam, ea ad alios usus impendendo<sup>2</sup>.]

1. Lib. IV, n. 488, 3°; 544 et 910, mutatis mutandis ex mutato jure. — 2. Marc, *Institut. morales Alphonsianæ*, n. 858-862.